


ROKITANSKY, CARL FREIHERR VON

De varioloide vaccinica

Mechitaristicae
Vindobonae
1828

EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- ➲ Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- ➲ Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- ➲ *Suchen & Finden:* Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.*
- ➲ *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)*

* Nicht in allen eBooks möglich.

Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

Weitere eBooks


Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.

Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>

Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>

Institut für Geschichte der Medizin
Wien

D 3.749



2733

DISSERTATIO
inauguralis medica
de
VARILOIDE VACCINICA.


Quam
Consensu et Auctoritate
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLISTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,
nec non
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

pro
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA
in antiquissima ac celeberrima Universitate Vindobonensi
publicae disquisitioni submittit

CAROLUS ROKITANSKY,
Bohemus Reginaehradecensis
ad C. R. Musaeum pathologicum Practicens non stipendiatus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatibus
aedibus die 1. Martii Anni MDCCXXVIII.

VINDOBONAE,
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE



D3749



Curiosa naturae observatio, imitatio, ut primam arti originem, ita incrementa dein dedit dabitque porro.

Gaubius.

MAGNIFICO AC SPECTABILI
V I R O
ALOYSIO LODGMAN,
EQUITI AB AUEN,
CRUCE MERITORUM CIVILIJ ARGENTEA INSIGNITO,
AD EXCELSAM C. R. CANCELL. AULICAM UNITAM
SECRETARIO AULICO,
FAUTORI GRATIOSISSIMO,
HAS LABORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS IN PIUM
VENERATIONIS AC PERENNIS GRATITUDINIS
MONIMENTUM

DICAT

gratissimus Nepos
Auctor.

Prooemium.

Varioloiden vaccinicam sive variolam modificatam in instituto clinico pluries vidimus. Admirabamur tum ambiguam hanc variolae sobolem, quum illa, quae Clariss. D. Prof. Nob. de Raimann de morbo commentatus est. Etiam varicellas observandi multiplex erat occasio.

Statui in dissertationem thema de Varioloidibus et Varicellis exarare, at, cum vidi semper difficultates in scrutandis varicellae antiquitatibus, in comparanda imprimis circa priores literatura recentiore, insuper, tempus urgens, laborem susceptum seposui, et, quae habui, de Varioloide vaccinica conscripsi. Si dabuntur otia et observandi occasio, inceptra ulterius promovebo. — In Sectione prima observata autorum, quorum scripta pervolvere dabatur, induxi, cuiusvis sententiam de morbo subjungens, in altera pathologiam pertractavi. Quos in hac exponenda imprimis sequutus sim au-

tores, indicatos per tractatus decursum invenies, et
quodsi in hunc scopum bene selegerim, unicum hoc
erit meum meritum. Nova enim proferre, quae simul
sint bona, vires deficiunt. Quare, Lector benevole!
hujus bene memor, legendo te accinge.

Autor.

SECTIO PRIMA.

SYNOPSIS OBSERVATIONUM HISTORICA.

Variolarum sub decursu vaccinae aut brevi post eruptarum casus, primis jam annis a vaccinatione detecta observatos per *Guilielm. Woodville* 1), *Lodemann et Mühry* 2), *Hessert et Pilger*, *Ballhorn et Strohmeyer* 3), *Zenker* 4), aliosque praeterimus, cum facilem sibi in capto ante vaccinae insitionem contagio varioloso explicationem inveniant.

Attentione potiori dignos censemus casus Variolae in individuis ante longius tempus vaccinationem expertis consecutae. Primi et copiosissimi hi casus innotuerunt in vaccinationis patria Brittania.

-
- 1) Reports of a series of inoculations for the variolae vaccinae or cow-pox etc. London 1799. Beschreibung einer Reihe von Kuhpocken-Impfungen, etc. von W. Woodville; a. d. Engl. von Friese. Breslau 1800.
 - 2) Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. 10. B. 1800. 2. St.
 - 3) Bouchholz vollst. Abhandl. über d. Kuhpocken etc. Berlin 1802.
 - 4) Hufeland's Journ. 17 B. 1804. 4. St.

Anno jam 1800 et — 1) cel. Willan 1) duos vidi erupcionis variolosae casus 6 et 10 menses a vaccina exantata. Comparuere sub febri notabili pustulae parvae, distinctae, durae, sexto jam die exsiccationis processui traditae. Vaccinationem imperfectam fuisse putat. Morbum variolosum in individuis vaccinatis eundem esse censem, ac illum, qui exsurgit, dum materia vaccinosa et variolosa brevi interjecto intervallo insituntur, vel, dum individuum, quod infectioni variolosae expositum erat, tempore sat maturo vaccinatur. In plurimis casibus a se observatis vaccinationem imperfectam fuisse putat. Sequebatur juxta ejus observaciones variola 5 menses adusque annos 7 a vaccina insita.

Societas regia Jenneriana 2) anno 1805 concedebat, nonnullos obvenisse vaccina munitos, qui variolis tentati essent. Hos casus tamen perraros nuncupat et morbum mitissimum asserit.

Alterius instituti autor Pearson 3) refert quoque in prosperum vaccinae, licet casus certi variolae post vaccinationem obvenissent.

Collegium reg. medicum 4) ad componendas inter vaccinationis fautores et adversarios lites perlu-

1) Willan über die Kuchpocken - Impfung, aus dem Engl. von Mühry, Göttingen 1808.

2) et 3) Willan l. c.

4) Willan l. c.

strato per regimen britanicum vaccinationis statu anno 1807 ita praedicat: „Immunitas ab insitione vaccinae expectanda, si non absolute perfecta, tamen tanta est, quanta ex invento humano expectari potest.“ Casus innotuerunt rarissimi, et morbus, ubi variola vaccinam insertam sequebatur, nec in decursu adeo continens, neque vehemens, sed paucis exceptis mitissimus erat, ac si variola per vaccinam praegressam omni malignitate exuta esset.

John Adams 1) ex epidemia variolosa in *Forfar* grassante 150 circiter numerat variola post insitam vaccinam tentatos. Plurimis horum vaccinam per homines incultos insertam fuisse tradit, quamvis tamen multi vaccinam apparerent normalem superaverint. Morbus levus erat, sub eruptione aderat febris, verum secundaria nulla, et pustulae intra paucos dies in crustas duras, corneas abeentes. Occurrebant quoque; qui variolas insitas passi, de novo iis plectebantur.

Annis 1817 et 18, tempore scilicet regnantis per *Scotiam* epidemia variolosa numerosissimi variolae vaccinam insertam sequutae casus observati sunt.

Grassantem in *Cupar* epidemiam describens *D. Henry Dewar* 2) ex 70 aegrotantium 34 vaccinatos fuisse narrat. Infans valetudinarius defunctus est.

1) Thesis de variola et vaccina. Edinburgh 1814.

2) Account of an epidemic Small - pox, which occurred in

Ramsay sub variolae in *Dundee* epidemice regnante multos vidit vaccina munitos prehendi variola. Nec defuere variolae secunda vice adorientes. Vaccinæ virtutem tutoriam tractu temporis infringi, aut deleri negat. — In prophylaxin variolæ praeter alia reposcit absolutam unius pustulae integratatem.

Smith in *Dunse* multos variolarum post vaccinationem casus vidit, horumque duos confluentium, quae 8. die absque omni febri secundaria de repente exsicabantur. Modificationem variolæ eas esse putat.

William Thomson casus 10 refert variolæ in vaccinatis, ubi eruptio ad 12—14 diem durabat; priusquam crustæ formabantur. Pustulae erant magnæ, non copiosæ, tumor cutis intermediae inflammatorius, uti in variola distincta esse solet, symptomata caeteroquin vehementia, verum non periculosa. — Plus quam 100 casus autem obveniebant, ubi variola 4., 5., 6., die ab eruptione desquamatione terminabantur, quas pro varicellis, aut variolis perquam modificatis habet. Exitus ubique faustus erat 1).

David Dundas 2) in instituto puerorum educationi dicato, ubi modo vaccinati suscipiuntur in *East-Scheen*

Cupar in Fife and the degree of protecting influence of Vaccination by H. Dewar. Cupar 1817.

1) Quos vide in Monro.

2) Hufeland's Journal 46. B. 1818 5 St.

9 vidit exanthematis variolosi specimina, quae pro variolis mitigatis (mitigated Small-pox) agnovit.

D. Mudie in *St. Andrews* morbum pluries vidit semperque exitu fausto terminalum, licet nonnulli non mediocriter laborassent. Variolam cum Varicella unum esse morbum autumat.

William Gibson in *New-Lanark* sub epidemia variolosa obvenisse refert casus 251 post vaccinam normalem, 11 in subjectis, qui ante jam variolam perpessi sunt et 3, ubi variola et vaccina praecessit. Morbus licet hinc inde vehemens fuerit, nullum vaccinatorum trucidavit.

John Gibson in *Lanark* morbum vidit plerumque varicellis similem. 20 casus observavit in individuis nec vaccina neque variola praemunitis, quorum unus obiit.

Vessie in *Lanark* varioloides in 60 vidit subjectis vaccinatis. Febris eruptionem comitans plerumque intensa fuit, secundaria nulla.

Henderson in *Perth* plures variolae secunda vice exortae casus observavit. Variolae vaccinatos sub epidemia corripientes plerumque varicellis erant aemulae. Unus horum mortuus est; desideratur vero omnis morbi et vaccinae praegressae expositio. Variolas, variolas modificatas et varicellas eundem esse morbum credit.

John Malloch in *Kirriemuir* casum sequentem

narrat notatu dignum: Puer circumvagans domum intrat, ubi variola. Redux in patriam febri corripitur, quam post aliquot dies exanthema sequitur varicellis simile; febris nunc disparet et puer lectum deserit. Elapsa septimana duo infantes hospitis ejus variola corriuntur benigna, tertius vero postea malignis confluentibus, quartus 3 mensium denique varicellis. Infantes vaccinati non erant 1) *).

John Cross 2) ex epidemia in *Norwich* anno 1819 late grassante notavit, 6 vaccinatorum variolis tentatos fuisse. Variolae modificatae post vaccinam refert 30 cassus. In nonnullis erythema apparuit cum cynanche absque pustulis, in aliis febris aliquot dies durans absque pustulis. Criterion characteristicum ei est medium pustulae impressum, quod in plerisque casibus ex 2. adusque 4. diem ab eruptione adesse asserit. Causam variolae modificatae in vaccinatione imperfecta quaerit,

1) Quos vide in *Thomson*.

*) Similis quid in clinico observavimus. Vir juvenis vaccinus nosocomium adit et in clinicum suscipitur. Morbum agnoscimus pro varicellis, quae per omnem decursum mitterissimae erant. Puer in vicino lecto decumbens atrophicus post aliquot dies corripitur variolis copiosissimis, quibus defunctus est.

2) A history of the variolous epidemic, which occurred in *Norwich* in the year 1819 etc. — Geschichte einer Blattern-Epidemie, welche im Jahre 1819 in *Norwich* herrschte. Von *John Cross*. Med. chir. Zeitung 1820.

credit tamen et post vaccinam perfectam variolas normales consequi, immo lethales fieri posse. Varicella et variola modifica juxta eum differunt.

Tempore regnantis epidemiae Edinburghi duo inclaruerunt observatores, ingenio et experientia aequi insigne, in judicio dissentientes:

Alexander Monro 1), morbi causam vaccinationi imperfectae adscribit. Epidemiam illam varicellas fuisse negat ob argumenta sequentia 1. non vaccinatos prae vaccinatis 2. infantes nonnunquam prehensit, quorum vicini (fratres et sorores) non vaccinati variolis confluentibus decumbebant 3. febris vehementior erat et diuturnior, ac in varicellis esse assolet, 4. tandem pustularum contentum cum eo variolarum conveniebat.

Quum variola inserta nil nisi variolam, inserta vero varicella nil nisi varicellam producat varicellae, non possunt esse variolae gradu mitiores: Ex eo etiam variola modifica morbus sui generis esse nequit, quia insitus variolam progenerat veram; est potius variola vaccinatione mitigata.

John Thomson 2), veterum jam nonnullorum opi-

1) Observations on the different Kinds of smallpox and especially of that which sometimes follows Vaccination by Alex. Monro. Edinb. 1818.

2) An account of the varioloid epidemic, which has lately prevailed in Edinburgh and other parts of Scotland,

nioni addictus, variolas et varicellas nonnisi gradu differre, identitatem varicellae et variolae modificate evincere nititur. Varioloiden in individuis omnis generis vidit, tum in variolam passis, quum in vaccinatis, nec non in illis qui neutro muniti erant. Morbus ubique ejusdem erat characteris, in variis his individuis tamen varie modificatus. In vaccinatis benignissimus erat.

W. D. Jones et R. Wade 1), plures casus indolis solitae mitis observarunt. Recte monet *Wade*, an methodus anglica, uno ictu vaccinandi, sufficiat. Saltet morbus in individuis hac methodo vaccinatis gravior erat, quam in illis, qui plures habuerunt pustulas vaccinas.

D. Georg Gregory 2), Londini conspectum tradidit, unde innotescit, quanto ex 10 annis numero variola post vaccinationem invaluerit.

Vaccinatio ei videtur nec vehementiam febris exanthematicae infringere, nec exanthematis copiam imminuere, ejus vero virtus in eo consistit, quod inflammationis incrementum sub eruptione exanthematis suf-

with observations on the identity of chikenpox with modified smallpox, by J. Thomson. London, 1820.

1) The London med. and phys. Journal. April 1824, Med. chirurg. Zeitung 1825 Nr. 42.

2) Medico - chirurg. transactions V. XII. S. Froriep's Notiz. Januar 1824. Nr. 119.

flaminet, ita, ut pustularum contentum nonnisi rarissime in pus mutetur, sed sanatio contingat transitu in tubercula — criterion momentosissimum. Refert duos causas lethales variolae modificatae, ubi haec nonnisi causa remota exitus lugubris haberi potest. Variat morbus inter limites distantissimos; variolas genuinas inter, et levissimam varicellam.

Ex ejus observatis liquet;

1. Familias nonnullas receptivitatem specificam possidere pro contagio varioloso.
2. Plurimi variola modificata laborantium annum inter 15. et 21. versabantur, quod vel in singulari hujus aetatis receptivitate, aut in deleta per decursum temporis vaccinae virtute tutoria fundari videtur.
3. Variolae vaccinam sequentis intensitas eo major est, quo imperfectior cicatrix ex vaccina. Haec autem absoluta sit circumscripta, orbicularis, radiata, cellulis distincta, ejus magnitudinis, ut piso tegi possit.

Idem medicus accersitus, ut cicatrices 12 aegrorum juxta relatum nosocomii variolosorum ex variolis veris post vaccinationem defunctorum examinet, easdem imperfectas et insufficietes declaravit 1).

1) Froriep's Notizen, Julius 1826. Nr. 302.

J. Hardi 1), 13 casus varioloidum breviter enarrat. Monet, non fidendum esse cicatricibus in examine, an vaccinae decursus normalis fuerit, nec ne. Infans unus vaccinatus, alter sub vaccinae decursu variolis correptus obierunt.

J. J. Cribb 2), ex 224 casibus variolae post vaccinationem 9 memorat periculosos, cum post huma coecitate et cicatricibus magnis, atque convalescentia tarda, 3 lethales post vaccinationem verosimiliter praegressam.

Edward Morton 3), ad nosocomium reg. pro infantibus refert, ex susceptis 401 infantibus vaccinatis 17 fuisse correptos variola, quorum 7 ipse observavit. In omnibus morbus erat mitissimus celeriter dicens. Asserto cel. Gregory, nonnullas familias singulari erga variolam receptivitate insigniri, favet.

Ex Gallicis *relatio Collegii pro insitione vaccinae Marsiliae* 4), exanthematis variolosi in vaccinatis mentionem facit.

Ex relatione *Collegii medici Bordeaux* 5), de epi-

1) The London med. and phys. Journal. Septemb. 1825, S. Salzb. med. chirurg. Zeitung 1825, Nr. 80.

2) Smallpox and Cow - pox, comprehending an concise history of those diseases and a comparison etc. By J. J. Cribb. Cambridge 1825. S. Hufeland's Biblioth. Nr. 1, 1827.

3) Froriep's Notizen, Julius 1827, Nr. 375.

4) Nouveau Journal de Medic. etc., April 1819.

5) Revue medical française et étrangère, Tom. X. 1825, und med. chirurg. Zeitung, 1825, Nr. 82.

demia annis 1820 et 21 in districtu *de la Gironde* grassante innotescit, ex 30,000 individuis vaccinatis 12 correptos fuisse variola; at duorum tantum vaccina; instituto examine accurato, vera agnita est.

D. Ratier 1), Parisiis anno 1823 in individuo ante 17 annos vaccinato variolam vidit modificatam.

Roterodami sub regnante ibidem epidemia variolosa anno 1817 *Gysberti Hodenpyl* 2) plures observavit variolae modificatae casus. Vaccinam non solum defendere contra variolam, sed et imperfectam, benignissimum exserere influxum contendit. Modificatiōnem variolae quodammodo a tempore dependere opinatur, cum a longiori tempore imperfecte vaccinati variolis exquisitoribus affligantur, iis; quibus paullo ante infectionem vaccina insita.

D. Julius 3) refert, sub epidemia Hamburgi anno 1824 observatos esse plusquam centum casus var. modificatarum in individuis normaliter et per medicos fide dignos vaccinatis. Infans rhachiticus his ipsis succubuisse dicebatur. — Per medicum expertum ei causus innotuit variole modificatae absque vaccina praegressa 4).

1) Archiv general. de Med. Tom. III. S: Froriep's Notizen;
May 1824.

2) Hufeland's Journal, 47. B. 1818, 5. St.

3) Froriep's Notizen, Januar 1824, Nr. 119.

4) Froriep's Notizen, März 1824, Nr. 130.

Germanorum primus cel. *Mühry* medicorum attentionem in morbum novum convertebat edita sua versione tractatus Willanii de vaccinatione, ac promulgata tum observatione propria 1), quam brevi post defendendam habuit contra cel. *Heim* 2), qui variolas arctissimis circumscribens limitibus, Willanii, et ejus observationes pro varicellis declaravit.

Cel. *Stieglitz* 3) pro observato cel. Mühry militabat.

Sequuti sunt *Elfes*, *Nelde*, *Kortum*, *Albers* 4).

De *Carro* 5) et *Gölis* 6) morbum Viennae, *Seiler* 7) in *Höxter* observarunt. Femina 24 annorum ante 12 annos variolas passa de novo iisdem sat vehementibus mulctabatur. In casu, ubi vaccina unacum variola decurrit, illa continuo dominium exercuit.

Oeltze 8) in *Neuruppin* anno 1819 — 20 in individuis circiter 200 variolas vidi, quorum 25 — 30 vaccinati fuisse dicebantur. Dimidii autem vaccina imperfecta demonstrata est, sed et in his variola benigna erat cum mitissima aut nulla febri secundaria. Saepius vidit variolam cum vaccina, nec non vaccinam cum varicella in eodem subjecto.

1) Hufeland's Journal, 28. Band, 1809, 3. St.

2) Ibidem, 30. B. 1810, 2. St. — Horn's Archiv 1809, B. 7. 2.

3) Horn's Archiv, 1809, B. 8. 2.

4) Hufeland's Journal, 28. 30. 31. 41. Band.

5) Ibidem, 50. B. 1820, 6. St.

6) Jahrbücher des österreich. St. 6. B. 1.

7) Hufeland's Journal, 54. B. 1822, 4. St.

8) Ibidem, 1. St.

Multum in dilucidando morbo meritus est cel. *Kausch* 1), eundem varicellam vaccinicam nominans, cum, uti omnis varicella, sit varietas variolae, sed formam suam a vaccina insita repetens.

Cui mente cel. Heim contradicit *Lichtenstaedt* 2) omnes Anglorum et Gallorum experientias pro varicellis declarans, dubium una movens, an morbus nova fuerit, medicis germanis ignota varicellae modificatio. Etiam nomen vernaculum *modifizirte Blatter* ideo vituperat, cum omnis varicella sit variola modificata.

Elsässer 3) plura refert exempla in Wurtembergico observata.

D. Gittermann 4) *Emdae* sub epidemia anno 1819 casum vidit, ubi infans non vaccinatus ex contagio var. modificatae variolas veras sibi contraxit. Simultaneo variolae et vaccinae decursu priores mitigari non observavit.

D. Dornblüth 5) variolas veras semel vidi altera vice, pluries variolas veras post vaccinationem im-

1) *Kausch Memorabilien der Heilk.* 1819, 3. B., und *Hufeland's Journal*, 50. B. 1820, 6. St.

2) *Hufeland's Journal*, ibidem.

3) *Beschreibung der Menschenpockenseuche*, welche in den Jahren 1814—17 im Königreiche Würtemberg geherrscht hat, von A. Elsässer. Stuttgart, 1820.

4) *Hufeland's Journal*, 52. B. 1821, 4. St.

5) *Ibidem Supplement-Band zu 1824.*

perfectam, ubi cicatrices c̄tra normam erant, pluries var. modificantam, ubi cicatrices ad normam erant.

A. Fr. Lüders 1) tandem germanis medicis disquisitione erudita circa morbum sat frequenter visum huicdum carentibus, monographiam subministravit. Summa industria facta historica a morbi incrementis adusque aevum recentius collegit, critico perlustravit lumine, proprias observationes candide enarrans, morbi pathologiam, et imprimis ejus ad variolam, et varicellam rationem stabiliens. Naturam variolosam morbo vindicavit, varicellae originem ex variolae contagio verosimilem inducens. Causam morbi solam vaccinationem imperfectam admittit.

Sequebantur sub epidemia variolosa annis 1823—24 latissime regnante in morbum nostrum inquirentes *Wendt* 2), *Gittermann* 3), *Julius* 4), *Bremer*, *Hufeland* et alii.

- 1) Versuch einer kritischen Geschichte der bey Vaccinirten beobachteten Menschenblattern etc. von Dr. A. Fr. Lüders. Altona 1824. Med. chirurg. Zeitung 1825, Nr. 1, und Hufeland's Biblioth. Nr. 2, 1825.
- 2) Beyträge zur Geschichte der Menschenpocken, Kuhpocken und modifizirten Menschenpocken im dänischen Staate, von Dr. Wendt. Kopenhagen 1824. S. Hufeland's Bibliothek, Nr. 11, 1825.
- 3) Gittermann over de gewyzigde Kinderpokken. Eine Harlemer gekrönte Preisschrift. 1824.
- 4) Journal der ausländischen medizinischen Literatur, und Froriep's Notizen.

SECTIO SECUNDA.

PATHOLOGIA.

Definitio et denominatio. Symptomata et decursus.

Variolois vaccinica juxta cel. Lüders sistit variolam in nexu essentiali cum insita vaccina versantem ex contagio variolae verae exortam *).

Idem significant autorum nomina : *Variolois vaccinatorum*, *variola modificata*, *var. per vaccinationem modificata*, *var. mitigata*, (*modified-mitigated Small-pox*), *variola vaccinica* (Mühry, Gittermann, Oeltze et aliorum), *varicella vaccinica* (Kausch, Hufeland). Quae singula an rei consonent, in ulterioribus patebit.

Si jam arduum est, ex autorum commentis circa quodvis exanthema conferre omnia, comparare tumque dispungere, ut inde morbi ad normam comparantis exsurgat imago, sane difficillimum est, in anomaliam inquirere exanthematis, imprimis variolae, stirpis adeo numerosae, volubilis, cuius, ut candide fatigemur, oeconomiam parum novimus.

Quod ex observatorum notitiis liquet, Variola vaccinica sistit morbum indeterminatum, ancipitem, ambiguum, intra limites distantissimos forma sua lu-

* Variolois in genere significat variolam per peculiarem aegrotantis constitutionem modificatam.

dentem. Imponit scilicet frequentissime forma eruptio-
nis, decursu irregulari, celeri, symptomatum miti in-
dole pro varicellis, non raro autem symptomata sub sta-
dio primo variolas malignas portendere dices; at fi-
nita, licet copiosissima eruptione discrimin omne jam-
jam evanuit, et morbus festinanter stadia ulteriora
emetitur.

Contagio varioloso suscepto per dies aut horas
praecedunt symptomata prodroma varia: delassatio
spontanea, artuum dolores, cephalaea, animus moro-
sus, somnus irrequietus, anorexia, nausea, praecor-
dia sensilia, vomitus, lingua muco albido tecta, fa-
cies pallens, cutis in transpirationem largiorem facilis.

Vespertino utplurimum tempore (*stadium inva-
sionis*) tandem intrat febris cum horripilatione, subse-
quo calore aliisque symptomatis consuetis, gradu
plerumque levibus. Nonnunquam tamen sub febri vali-
da singula prodromorum exacerbantur, cephalaea in-
tenditur, accedunt in plethoricis deliria, epistaxis, in
tenerioribus convulsiones, praesertim sub complica-
tione verminosa, vomitus, dolores colici, diarrhoea.
Celebrat febris typo remittente ingrediens duas tresve
exacerbationes et sub remissione exacerbationis febri-
lis tertiae (*stadium eruptionis*) 4. plerumque die ma-
culae efflorescunt pallide rubentes, tactu polissimum
percipiendae primo in facie et nucha, vel manibus tu-
mentibus (Willan, Mühry) brevi in papulam profun-

dius rubram abeuntes duram cum apice albicante et limbo laete rubente. Propagatur efflorescentia diebus insequis, secunda et tertia ad collum, pectus, abdomen, dorsum, tandem ad extremitates. Saepe saepius autem eruptio prima ad extremitates contingit, tumque truncum et faciem petit.

Nonnunquam rubor diffusus (erythema) cuivis eruptioni praecedens, omnem cutis ambitum hoc modo permeans, quo pallescente papulae conspiuntur (Willan, Hodenpyl, Monro). Inter febris praegredientis et exanthematis intensitatem atque copiam nulla caeteroquin constans est ratio, mox enim febrim vehementem, nulla sequitur, aut parcissima eruptio, mox adeo larga, ut confluat. Facta eruptione febris disparere solet ex integro.

Papularum aliae die earum eruptionem insequente non ulterius evolvuntur, verum subsistunt, aliae vesicula in apice instruuntur, diaphano, serius lactescente, turbidulo liquore repleta cum halone laete rubente. Contentum illud parcum demum flavescere incipit, et vesicula levem hinc inde offert in medio impressionem. Aliae denique quam exactissime expllicantur. Intumescent papulae in nodulos duros rotundos, inflammatos in medio profundius ac in circumferentia rubentes, in quo vesicula efformatur flavicans aut margaritacea, halone circumdata angusto, rubro, qui tertia die evadit rubori scarlatinae similis. Plurima

harum pustularum nunc umbilico insigniuntur; cutis tensa, rubens, turgensque conspicitur.

Pro vario morbi gradu, exanthema varios hos evolutionis gradus nanciscitur. Modo exanthema omne aut saltem quoad plurimum speciem ultimam pustularum exhibet (pust. majores), modo evolutionis gradum speciei secundae duntaxat attingit, ibique acquiescit (p. minores), aut plane ultra papulam non evolvitur, exsiccationi praecipi tradendum.

Adnitemur quidem, has species discernere at notandum; obvenire in natura transitus multifarios ex una in alteram, darique in singula varios iterum evolutionis subordinatae gradus.

Hinc inde videbantur pustulis interspersae vesiculae, aërem aut limpidam lympham continentes, quae vel ipso eruptionis die corrugabantur, vel lacteae, turbidulae fiebant, semet flava squama obtegebant absque vestigio relicto decidente (Lüders).

Sub morbo intensiore fauces cum tonsillis et trachea quoque labrant, unde raucedo, tussis, deglutitione difficultis. Et oculi hinc inde levem patiuntur inflammationem.

Quarto ab eruptione die (*stadium suppurationis et exsiccationis*) pustulae majores lentis magnitudinem adaequant; singulae huic impressionem gerunt in medio, ampliato halone. Minores contento parco liquore densato acuminantur et exsiccati incipiunt. Mi-

nima pustularum rudimenta, nodulos aridos referunt.

Ad sextam usque diem pustulae majores magnitudinem lentis majoris attingunt (diametri $\frac{2}{3}$ pollicis) sphaericae, elasticae sunt, et humorem spissum, viscidulum puriformem continent. Punctae exigua ejusdem quantitatem stillant, collabuntur, non reimplendae. Halones profundiori rubore tinguntur, quin pustularum interstitia rubeant. Sub copioso pustularum hujus speciei numero partes obsita tumefiunt. Minores pustulae prominentias tuberculosas crustis splendentibus, duris tectas exhibent. Sexta die absque minima in systemate vasorum turba pustulae majores corrugantur, eademque ipsa aut proxima die crustis solidis, corneis, rotundis, lucide bruneis aut ex rubro-fuscis tectae conspiciuntur. Partes detumescent. Adeo spatio 12 — 24 horarum exsiccatio finita est. Pro yario suppurationis progressu crustae aut basi complanatae aut prominulae carnosae insident. Potissimum hoc ultimum obtinet, quo in casu crustae serotine defluunt, basi eorum adhuc superstite. Hac denique applanata maculae subbruneae cum levissima excavatione remanent per longius tempus, absque aut levissima cicatrice relicta disparentes. (Willan, Mühry, Hoppe 1), Lüders.) Febris secundaria utplurimum

1) Hoppe dissert. de vi vaccinar. antivariolosa. Havn. 1819,
in Hufeland's Biblioth. Nr. 11, 1819.

plane desideratur, aut saltem mitissima est, ptyalis-mus rarissime observabatur, eodem pacto et tumor faciei, et cynanche gravior; unice urina turbida hinc inde visa est 1).

Cum successiva semper fiat exanthematis eruptio continuo ulterius evolvenda, in eodem individuo stadia morbi plura deprehendi possunt.

Liquent igitur momenta diagnostica inde sequentia:

1. Febris eruptioni praecedens, tres plurumque celebrans exacerbationes mitis.
2. Eruptio saepissime prima ad manus vel faciem contingit, eadem intra spatium dierum trium absoluta febris cessat.
3. Exanthematis pars ultra primum pustulae rudimentum non evolvitur, sed illico exsiccatur.
4. Et illa, quae ulterius evolvi incepit, non aequabilem nanciscitur evolutionis gradum, ita, ut
5. Suppuratio sit multum imperfecta stadio exsiccationis implicata, hoc ipsum brevissimum.
6. Febris suppuratoria plerumque deficiens.
7. Abeunt pustulae, ut plurimum in tuberculata crutis corneis varie bruneis tecta — pustularum reliquias. Ita enim et metamorphosis pustulae variolae et variolae differt. Consumitur in variola

1) Lüder's Versuch, in Hufeland's Biblioth. Nr. 2, 1825.

pustula per subsequam suppurationem, in variolide e contra pustula supperari vix incipit, jamque de repente suppurationis processus supprimitur, et en! basis ejus fere integra evasit.

Perlustrato morbi decursu et expositis ejus phaenomenis praecipuis judicio cel. Mühry omnino applaudimus, cum insert: „Der ganze Charakter des Ausschlags ist in Absicht des Ausbruchs, des Verlaufs, der Zufälle viel gelinder, geringfügiger, gleichsam eine verkleinerte Copie der gewöhnlichen Blatternkrankheit. Die Stadien sind bestimmt ange deutet, deutlich unterschieden, aber verkürzt“ 1).

M o r b i n a t u r a .

Ad statuendam sententiam solidam de morbi cuiusvis natura, primum est, novisse momenta, quibus positis, morbus generatur.

Observationes docent, morbum produci per variolae verae contagium in individuo vaccina munito, et contemplantes expositam morbi imaginem summam deprehendimus analogiam eum inter et morbum, qui excitatur si vaccina et variola brevi interjecto intervallo eidem individuo inseruntur (Willan) aut, qui exsurgit, si infectio variolae spontanea brevi ante vaccinationem

1) Hufeland's Journal. 28. B. 1809, 5. St.

facta est. (Ballhorn, de Carro, Sacco). Etiam enim in his casibus vaccina morbum mitigare et imprimis versus stadia ultima ad varioloidis formam determinare valet. Similis etiam oriebatur morbus, si individuis vaccinam perpessis variola inserta est.

Momentum igitur excitans, quod naturam morbi apprime arguere valet, scilicet contagium variolosum his extra dubium ponitur. Ita et neminem latebit momentum alterum, variolam modificans, receptivitas nimirum per vaccinam infracta, morbum explicatum evolvendo impar.

Luculentissime autem morbus naturam, qua gaudet variolosam patescit productione variolae verae, genuinae, translatus in individuum receptivitate integra pollens (Willan, Gittermann, Lüders, Wendt). Omne de ejus natura dubium dissipat haec virtus exactissime respondens postulanti ingenioso *Lüders*, qui ait: „Nicht sowohl die Entstehung von der Art, als die Hervorbringung derselben, bestimmt in der Naturkunde den Begriff der Art.“ Spontanea tamen infectio rarius contingit, cum stadia suppurationis et exsiccationis, sub quibus variola facilime inficit, adeo exilia sint, et febris secundaria plane deficiat. Cui ultimo eo magis causam adscribimus, cum febris medium nobis sit, quo contagium altius evolvitur, vivificatur, limites sphaerae contagiosae extenduntur, atque organismus aegrotans

in interius collocatur magisque energeticum cum mundo ambiente commercium.

Ex perspecta hac varioloidis indole isolatio aegrorum in regno Danico tum variola, tum variola modificata laborantium aequali sollicitudine lege publica praecipitur. (Wendt).

Tandem naturam variolosam cel. *Lüders* evincere satagit ex sede utriusque aequali in corio, quod saltem in illis varioloidis vaccinicae pustulis obtinet, quae in verrucosas (Warzenpocken) abeunt.

Haec sunt, quae experientia et speculatio subministrant, quibusque natura morbi variolosa omni dubio subtrahitur. — Merito itaque jure morbus nomina sortitur *variolae modificatae*, quia variolam sistit per constantem influxum vaccinae insitae in decursu suo a variola genuina declinantem — *var. mitigatae* quoniam eadem potentia amica vigente omni periculo, saltem in stadiis, in quibus variola explicata enormes illas strages edere solet, destituitur, nec sola per se interficit.

Ex his colligitur non minus convenire, habito praeprimis respectu ad exanthematis formam, nomen *variolae vaccinicae*, omnem autem morbi naturam recludi denominatione *varioloidis vaccinicae*.

Stabilita jam morbi natura, adversariorum numeros magnus huic obest, omnem variolam a vaccina insita, ad varicellarum coetum relegantium. Quorum

sententiam severiori subjiciendam esse examini momen-
tosissimum censemus.

Varicella sistit morbum exanthematicum, acutum,
contagiosum varioloidi vaccinicae, imo quoad formam
exanthematis variolae explicatae saepius simillimum,
verum in nullo cum vaccina insita nexu essentiali con-
stitutum.

Inchoat morbus febri ut plurimum mitissima, las-
itudine, morositate, anorexia et pulsu leviter conci-
tato manifesta, interdum graviore, cephalaea, impri-
mis tussi, artuum doloribus, nausea, vomitu, siti in-
tensa, imo deliriis et convulsionibus stipata. Primis jam
24 horis aut his vix elapsis papulae efflorescunt ea-
ratione, ut vel prima die in dorso atque pectore, alte-
ra die in facie et capillata capitis parte, tertia denique
in extremitatibus compareant, vel per universum cutis
ambitum simul absque ordine emergant. Composita
interim febri, celeri passu in nodulos abeunt vesicu-
lam in apice gerentes, tuncque sub tribus occurrunt
formis ceu totidem varietatibus (Willan, Batemann *)
modo seorsim, modo simul in eodem individuo obviis:

I. *Varicella lenticularis*. Intumescentiae parvae len-
tiflormes, ruboris inflammatorii, in quarum centro alte-
ra die vesiculae efformantur lympha albida repletae.

*) Th. Batemann's praktische Darstellung der Hautkrank-
heiten, aus dem Engl. v. A. Hanemann. Halle 1818.

Haec 4. die flavescit. Die 5. aliae subsident, et corrugantur, aliae rumpuntur, et 6 — 7 tandem crustis tenuibus bruneis operiuntur q. aut 10. die deciduis, relinquentes maculas rubras absque cicatrice.

II. *Varicella conoides*. Noduli duri inflammati, qui citissime in vesiculam acuminantur repletam liquore limpido, qui serius opacatur et flavescit. Aliae 2. jam et 3. die rumpuntur et crustas gumosas, flavellas formant; aliae interim circumcirca intensius inflammantur, suppurant, et dejecta 6 — 7 die crusta cicatricem aut foveolam relinquunt. Prae reliquis haec species varioloideum mentitur.

III. *Varicella globata*. Ex basi inflammata vesiculae efformantur globosae pisum magnitudine aequantes non exacte circulares, laticem diaphanum coercentes, qui 2. die lactescit, flavescens denique. Tertia die rumpuntur, subsident, collabuntur et in crustas exsiccantur tenues nigricantes, quae quatuor aut quinque dies post solvuntur. Continuo pruritu molestant, imprimis capillitium, faciem, dorsum et pectus obsidentes.

Morbus brevis protrahi solet eruptionibus serotinis per plures dies contingentibus.

Aliam cel. *Heim* varicellae speciem describit, quae ad variolam proxime accedit. Morbus exorditur febri saepius vehementi; 2 — 3 die exanthema efflorescit numerosissimum, specificum spirans odorem, valde pruriens. Stigmata profunde rubent, subdura sunt. Pu-

stulae plurimae aquoso nonnisi liquore repletur. Pustula exacte evoluta haemisphaeram exhibit, mollis est, non resiliens, basi planae insidet, cincta rubore profundo. Sua sponte non rumpitur, puncta laticem suum aegre stillat, nec iteratim repletur. Liquidum contentum minus purulentum est, quam potius tenue, lactescens. Facies sub eruptione turgens, sub pustularum repletione detumescit. Febris suppuratoria nuncquam incenditur. Exsiccantur tandem pustulæ in cristas, tenues rotundas, quibus deciduis macula conspicitur rubra, intra breve disparrens. Cicatrix hinc inde residua, alba, levis, rotunda, margine rotundo levi cincta cum basi convexa absque pilis, punctisve nigricantibus. Absoluto eruptionis stadio, tres dies emetiente, pustulæ serotinae hinc inde emergunt.

Juvabit modo varioloidis vaccinicae et varicellæ utriusque characteres juxta posuisse respectu potiore, utriusque differentiarum habito.

Variolois.

Eruptioni per tres dies præcedere solet febris.

Prorumpit exanthema ad faciem vel manus primum, tumque truncum, tandem extremitates inferiores pétit: raro ordine inverso continet eruptio.

Varicellæ.

Efflorescunt plerumque varicellæ secunda jam febris die.

Varicella vel primo in pectore ac dorso, postea in facie et ipsa capillata capitis parte, denique in extremitatibus comparet, vel unico impetu undique erumpit.

Stigmata prima die du-
riuscula, pallide rubent.

Stigmata tunc profundius
rubent minus dura, digito
tangente quidquam deprimenda,
majora, pruritu valde molestant.

Non omne exanthema pa-
ri ratione evolvitur nec ideo
omne percurrit omnia sta-
dia. Ut plurimum tres evolu-
tionis pustulosae gradus ob-
servare licet.

Omnia stigmata in ves-
iculas abeunt, quae omnes
eadem absolvunt sua stadia,
ut ut tempore diverso, ita
ut 3—4. die exanthema hic
incrustedum, ibi florens ani-
madvertere possis.

Pustula evoluta subdura
est elastica.

Pustula mollis est, omni
elatere orba.

Cutis infra pustulam tu-
midula tangitur.

Cutis infra pustulam pla-
num exhibit.

Pustula evoluta liquorem
recludit spissum, viscidu-
lum, puriformem.

Liquor pustulae conten-
tus serosus, tenuis est, la-
ctescens, nunquam puri-
formis.

Crustae pustularum ma-
jorum crassae sunt corneae
rotundae, durae coloris bru-
nei; minorum durae splen-
dentes, quibus deciduis, aut
prominentiae tuberculosaes
remanent aut maculae ru-
bro-brunneae per longius
tempus conspiciendae, nulla
vero tandem aut levissima
cicatrix.

Crustae tenues rotundae
sunt variii coloris, macula
superstes rubra brevi eva-
nescit, relicta cicatrice con-
spicua characteristicæ.

Dissent itaque morbus uterque forma exanthematis,
pari ratione ac symptomatibus reliquis nec non decur-
su. Et *Batemann* *) absque dubio de varioloide vacci-

*) Neueste Verhandlungen in England über die Schutzkraft
der Kuhpocken v. Hecker, in Hufeland's Journal 48. B.
1819, 4. St.

natorum loquitur, si dicit, differe illud exanthema tuberculosum post insertionem variolae in vaccinatis non raro observatum essentialiter a quavis varicellarum forma.

Difserit vero varicella etiam natura sua eadem ratione a varioloide, cuius demonstravimus naturam variolosam uti a variola ipsa. Controversa enim quaestio, an varicella originem suam ducat ex contagio variolae verae necdum in liquidum posita est. Militant pro et contra resultata observationum et experimentorum inde a morbi prima apparitione adusque nostrum aevum institutorum aequa gravia — ita, ut demum recentiorum sint quidam, qui utramque opinionem amplexantes contagium varicellae proprium existiment, nec tamen negent, posse varicellam generari etiam ex contagio variolae verae.

Nunquam varicella in aliud individuum aut infectione spontanea aut insitione translata variolam produxit (Monro). Etsi ergo concedamus, varicellae contagium, modificationem esse contagii variolosi, illud tamen demonstrat, hoc contagium modificatum jamjam independens a stirpe materna (contagio varioloso) ac sui juris factum esse, ut quod semper et undique morbum sui generis producit.

Residet denique varicella in reti, culi et epidermidi interjecto, non corio, ut adeo et sua sede a variola et varioloide differat.

Quibus breviter allatis, nimis temerarium videtur nonnullorum ratiocinium: Quum varicella sit productum contagii variolosi in individuo plena pro eodem receptivitate ex quacunque causa destituto, et variolois post vaccinationem nil nisi varicellae est species. Ideo morbo nostro et nomen *varicellae vaccinicae* a nonnullis propositum non convenit.

M o r b i C a u s a e.

Innumeris observationibus comprobatum est, vaccinationem insitam ad normam exantlatam praestare perfectam contra variolam immunitatem. Merito igitur casus, in quibus a vaccinatione exanthema variolosum sub forma varioloidis vaccinicae comparet, suspicionem movent, vaccinationis imperfectae. Et re ipsa observationes autorum ita referuntur, ut plerisque casibus subjunctum inveniamus, vaccinationem detectam fuisse revera imperfectam — anomalam. Deinde ex eo tempore, quo cicatrices vaccine subtilius examinari inceperunt, ac nonnulli recentiorum singularem in eorum diagnosi dexteritatem sibi compararunt, plurimi casuum dubiorum eo dijudicabantur, ut vaccinationi adscriberentur imperfectae. (Gregory). Rari quidem duntaxat narrantur casus, in quibus vaccina praegressa omnibus numeris absoluta demonstratur, at indubitali existunt.

Non haesitamus causam phaenomeni statuere du-

plicem, *imperfectam* scilicet *vaccinationem*, et individuorum quorundam singularem pro contagio varioloso receptivitatem per vaccinam etsi normalem non ex integrō delendam, — *idiosyncrasiam*.

Utriusque existentiam comprobare jamjam operis esse putamus, singulam seorsim uberioris exposituri.

I. *Vaccinationem imperfectam* in causa esse frequentissime atque communiter, autorum enarrati casus, quorum supra mentionem fecimus, arguunt, maxime vero animadversio dudum facta, variolam modificantam occurrere frequentissime in regno Brittanico, ubi in institutis publicis vaccinati saepissime iteratae pustularum revisioni sese subtrahunt, vaccination autem privata, pro maxima parte in manibus est agyrtarum. Multo rarius visus est morbus e contra, ubique vaccinae insilio medicis duntaxat confisa est, atque politia medica anglicam antecellit.

Dicimus *perfectam vaccinationem*, ubi pustula vaccina a prima inde contagii susceptione adusque solutionem crustae normaliter evolvitur atque revolvitur, et sub stadio acmes organismi affectio universalis per motus febriles et areolam inflamatam circa pustulam sese manifestans contingit.

Quod in genere omnibus consentientibus de vaccinatione perfecta reposcimus. Ubi autem est, ut dijudicemus vaccinationem in individuo singulo, hoc nonnisi secundum ejus effectum, subsequentem scili-

cet a variola immunitatem possumus. Pro varia enim individuorum receptivitate pro vaccinae contagio, conflictus, quem contagium cum actione vitali ingreditur magis minusve est energicus, eaque ratione processus inde resultans morbosus ad potentiae gradum varium evolvitur. Qui vero gradus reactionis vitalis, seu, ut dicunt, incitationis universalis sufficiat, ut systema cutaneum reproducatur erga variolae contagium indiferens, pro singulo individuo determinari non potest. — Sunt, qui vaccinam adeo leviter patiuntur, ut eos aegrotare nullo modo dices; attamen in sequente immunitate documentum vaccinationis perfectae referunt. Sunt, in quibus contrarium evenit.

Aberrationes a statuta norma vaccinationem sistunt *imperfectam* sive *anomalam*, cujus causae multifariae aut in lympha aut individuo vaccinationem subeunte, aut demum in methodo inserendi vaccinam eamque tractandi quaerendae sunt.

Lympham inculpare debebis:

1. Si originem suam ex pustulis vaccarum spuriis repelit, quarum plures existunt species, aut si eadem aequa serius capitur puriformis jam et male olens.
2. Si ex pustulis capta est, quae scalptu aut contusione et similibus disruptae in evolutione sua perturbatae sunt, aut ubi per aequo frequentior rem paracentesim et lymphae praelargam detra-

- ctionem status inanitionis pustularum inductus est. Vaccina hujus modi individuo, in quo vegetat, vix praebet tutamen exspectatum, et ejus lympha persaepe vaccinam producit irregularem.
3. Lympha ex vaccina in seriori jam stadio versante desumpta facillime spuriam producit vaccinam (vaccinellam). Periodus ex die sexta a contagii insilio ne ad nonam usque in lympha limpida contagium offert efficacissimum; (Raimann 1) abinde vis contagiosa debilitatur, et progenito pure degenerat. —
4. Lympha, nimis diu imprimis per aestatem (Richter 2) in statu fluido asservata, uti generatim lympha siccata humido iterum emollita virtutis suae multum amisit, ita ut vaccinam nonnisi imperfectam, pustulas minores cum areola arctiori et reactione febrili inconspicua provocet. Itaque in dubio relinquitur, num constitutio in posterum salva maneat.

Eadem valent de lympha per lucis, atmosphaerae, humiditatis, caloris et frigoris influxum debilitata, nec non per easdem has potentias, electricum, oxyge- nium, metallum ignobile, odoramenta decomposita (Sacco 3), Lüders).

1) Raimann spezielle Therapie. 2. Theil.

2) A. G. Richter spezielle Therapie. 2. B.

3) L. Sacco neue Entdeckungen über die Kuhpocken, die Mauke und Schafpocken. Aus dem Ital. v. W. Sprengel, Leipzig 1813.

6. Lympha ex pustulis individuorum, quae ante vaccinam jam superaverant variolam, multum suspecta, sedulo vitanda est. Elenim et variola exantata vaccinam postea insertam modificat, uti experimenta cel. *Lüders et Harder* 1), testantur. Decursus vaccinae tunc brevior est, areola inaequalis, stigmata valde pruriunt, crusta exigua est ac tuberosa, quae decidua basim prominulam rubentem relinquit absque cicatrice ulla. Transplantata talis pustula secundum cel. *Lüders* vaccinam ejusdem indolis anomalam progenerat, hac ipsa vero [translata in individuum tertium virtus contagiosa vel emoritur, vel jam hic nascuntur pustulae regulares quoad formam a vaccina genuina non distinguendae. Conditiones, sub quibus unum alterumve obtineat, numque id genus vaccina anomala immunitatem praestet, vir candidus ignorare fatetur. Juxta cel. *Harder* vaccina per variolam praegressam modificata in subjecto non munito vaccinam genuinam reproducit.

In rariss casibus tamen contagium vaccinae individuo variolam experto insertum pustulam produxisse plane normalem, characteristicam traditur. Lympha vero inde capta ulterius propagata vaccinam produxit

solito celerius decurrentem, individua non munientem
De Carro 1).

Quare in genere consultum putamus, priusquam de certioribus edocti fuerimus, lympham hujusmodi pustularum evitare.

6. Eadem fere valent de pustula vaccina, in subjectis vaccinationem jamjam perpessis, per repetitam insitionem provocata. Oritur enim et hic vaccina modificata; quod jam *Michaelis 2)*, miratur dicens: „Und auffallend ist es, dass, so wie der Tag herankommt, wo es (contagium) bey der ersten Anwendung eine allgemeine Erregung bewirkte, (8—9 die) nun bey der zweyten Anwendung alle örtliche Reitzung verschwindet.“

Individuo imputandus erit vaccinationis processus anomalus:

1. Ubi vaccina inseritur hominibus, receptivitate pro ejus contagio destitutis. Si quae oritur pustula, mere localis est virtute anvariolosa penitus priva. Ex hujusmodi pustula desumpta lympha in causa fuit successus infausti vaccinationis *Oebisfeldae 3)*, in subjectis 49 institutae. Fere omnes postea variolis succubuere. Distinguit *Thomassen a Thues-*

1) Hufeland's Journal. 10 B. 1800. 4. St.

2) Ibidem 18. B. 1804. 5. St.

3) Ueber die verunglückte Schutzblatternimpfung in Oebisfelde, in Hufeland's Journal, 14. B. 1802. 1 St.

sink 1), receptivitatem mere localem a generali, quae necessario requiritur, ut per vaccinam extinguatur in variolam dispositio. Inde explicare adnititur phaenomenon, quod homines, qui vaccinam apparenter normalem passi sunt, nihilosecius post variola corripiantur.

2. Hac ex causa vaccina in hominibus aetatis mediae et ultra saepissime anomala est; multum convenit eum vaccina modificata, quam supra exposuimus.
3. Ubi individuum vaccinae beneficio adisciendum tinea, scabie, herpele, etsi ad minimas cutis plagas restrictis laborat. Jam anno 1804 divus Jenner docuit, unicam vesiculam serosam sub vaccinae decursu exortam, margines palpebrarum suppurantes, processum vaccinosum ita pervertere posse, ut dubia sit inde virtus tutoria. Imo asserit, omnem morbum cutaneum, sub quo fluidum serosum secernitur, quod in crustam densari potest limitare virtutem vaccinae antivariolosam 2).
4. In subjectis scrophulosis atrophicis vaccinatio vel

1) E. J. Thomassen a Thuessink over het beveiligend vermogen der Koepokken tegen de Kinderziekte, Groningen 1818.

2) D. Jenners Rundschreiben an die Aerzte in Betreff der Ursachen der unter dem Nahmen der falschen Pocken (Varioloids) bekannten Ausschläge in Hufeland's Journal 54. B. 1822. 1. St.

frustranea est, vel pustulae oriuntur, quae transplantari recusant — inanes. Fors huc trahenda est cel. *Hodenpyl* observatio, qui praecaeteris scrophulosos varioloidi obnoxios praedicat.

Insuper paeprimis in subjectis cachecticis pallentibus cel. *Lüders* peculiarem vaccina anomaliam observavit. Pustula talis conformatio sua externa et decursu non deflectit a vaccinae genuina, ast rubor periphericus et febris exiles sunt, et pustula ad marginem internum magis diaphana. Puncta lympham tenuiorem illico majori fundit copia, et collabitur. Statum pustulae hydropicum nominare ei placet.

Pustula haec aut nullum plane involvit contagium aut vaccinam progenerat anomalam, virtute tutoria privam.

Methodo vaccinam inserendi successus minus bonus erit opprobrio sub sequentibus rerum adjunctis.

1. Si vaccinatio, uti passim in Brittania fit, uno ictu absolvitur. Incitatio enim universalis exinde vix tanta ubique erit, quanta ad extinguendam pro variolae contagio receptivitatem requiritur. Certe infans cachecticus, laxus, pastosus, aetatis adulatae subjectum incitamentum intensius sibi exposcit ad provocandam febrim symptomaticam, quam tener, irritabilis, plethoricus. Deinde sub hac insitionis methodo facillime contingit, ut vaccina ob localem cutis constitutionem minus perfecta oria-

tur; observarunt enim complures in eodem subiecto, imo eodem brachio ex eadem lympha vaccinam genuinam atque spuriam. — Hic loci est, ut de methodo *James Bryce* 1), dicamus. Ea haec est: Quinta vel sexta die a vaccine insertione, eidem subiecto lympha ex una ejus pustula desumta in altero brachio inseritur. Observavit scilicet auctor, decursum pustulae succedaneae ita accelerari, ut cum priori simul acmen attingat; hunc decursum acceleratum vero nonnisi sub affectione organismi universi per pustulam priorem provocata locum habere affirmat, documento, vaccinam virtutem plenam exseruisse. Certe haec methodus omnibus reliquis prolatis vaccine tentaminibus palmam praeripit; at in Anglia vaccinationis processum usu ejus turbari debere, luce est clarius. Cum enim pustulam unicum inserant, hancque deinde in revaccinationem illam exploratorium aperiant ejus lympham brachio alteri inserentes, evolutionem ejus hac laesione certe ita turbant, ut dubia exsurgat inde virtus tutoria. Pustula vero succedanea vaccinam perfectam certe non sistit, et vix quid defensioni confert.

2. Methodi vaccinam inserendi ope vesicatorii et

1) Pract. observ. on cowpox etc. Edinburgh. 1805. — Uebersetzung von Friese. Breslau 1805.

fili lympha impregnati (Incisione) aeo nostro jure merito extra usum ponuntur.

Tractamen therapeuticum vaccina ipsa rarissime sibi exigit; at ubi ex quacumque causa consultum foret, sub ejus decursu in- vel externe therapiam facere, solertissime respiciatur pustula. Cel. *Lüders* imprimis internum hydrargyri, nitri et purgantium usum, externe Camphoram, hydrargyrum et plumbum pustulae applicata, ceu evolutionis vaccinæ impedimenta comperta habet. Cataplasma emollientia, unguenta, pustulas suppurantes causant. (Richter).

II. Alteram varioloidis vaccinicae causam nominavimus *idiosyncrasiam*. Quam in singulis casibus sublatere credimus,

1. cum exempla existant variolae modificatee post vaccinam normaliter exantlatam.
2. Cum et indubitata sint exempla variolae in eodem individuo bis imo ter ad normam exantlatae nec non varioloidis in individuis variolam perpessis sub nomine Hornpocken (Hornpox) jam dudum notae, varioloidi vaccinicae summe analogae et ante vaccinationem inventam sub epidemiis variolosis saepissime observatae ac pro varietate variolæ veræ habitæ (Adams , Bryce , Thomson).
3. Cum observationibus constet, nonnullas familias præ reliquis varioloidi esse obnoxias. (Adam De-war , Gregory , Morton.)

Juxta *Stieglitz* 1) variola modificata maximum est documentum, vaccinam decursum suum perfecte absolvisse atque genuinam fuisse; non vaccina sed idiosyncrasia singuli organismi in causa est, quominus vaccina in raris casibus virtutem tutoriam plenam solito modo comprobet. Imo tandem praedicare non dubitat: „Bestätigen sich die Thatsachen und Schlüsse, die mir so einleuchtend scheinen, so steht es künftig fest: wer gewöhnliche und natürliche Blattern nach Kuhpocken einst erhält, dessen Vaccination kann fehlerhaft seyn, und diese ist in nichts zu beschuldigen, wenn die angegebene modifizierte Art von natürlichen Blattern sich zeigt.“

Secundum *Gregory* 2) theoria idiosyncrasiae omnem varioloidis explicationem suppeditaret, si demonstrari posset, variolam post vaccinationem non saepius occurrere ac variolam secundam in eodem individuo. At cum prioris casus sint crebriores, numerus ejus praevalens vaccinationi imperfectae imputandus est.

An non vaccinae contagium saepius reproductum tandem degenerat, ita ut inde varioloidis frequentia temporibus nostris explicari possit?

1) Horn's Archiv. 1809.

2) Froriep's Notizen. Julius 1827, Nr. 574.

Putant multi vaccinae contagium saepius regeneratum tandem analogum, homogeneum fieri organismo humano, indole sua differente et virtute antivariolosa exui. — Jam divus Jenner omnino de his cogitasse videtur, si frequentiorem usum lymphae ex pustulis vaccarum primitivis suadet.

D. Gautieri 1) anno 1802. observationibus ductus affirmat, contagium vaccinae saepius transplantatum tandem vaccinam spuriam producere, sive degenerare posse.

Löffler 2) monet, propagationem vaccinae ex individuo uno in alterum non in nimium esse continuandam, sed saepius instaurandam esse ope lymphae vaccarum primitivae, ex eo, quoniam contagium vaccinae reproductione sua in organismo humano degenerat, analogum, cognatum redditur eidem, adeoque virtutem tutoriam perdit, licet forma externa (*Physiognomia*) eadem perstet.

Gölis 3) pugnat pro degeneratione contagii vaccinae, quam arguere ei videntur frequentia variolae vaccinam insequentis increscens, et analogia cum variola vera, cuius contagium insitione et iterata reproductione multum mitescit et debilitatur.

1) Hufeland's Journal, 13. B. 1802. 3. St.

2) Ibidem, 21. B. 1805. 4. St.

3) Medizinische Jahrb. des österr. Staats. 6. B. 1.

Cel. *Lüders* distinguit degenerationem ex causis transitoriis, localibus oriundam, singulis proinde territoriis adstrictam, et degenerationem universalem ex natura vaccinae ejusque ad organismum humanum relatione derivandam.

Quod priorem attinet, de illius existentia prorsus non dubitamus, ubique enim occurrit, ubi cauae vaccinationis imperfectae et anomalaе in praegressis expositae non sedulo evitantur.

De qua nos hic agimus, degenerationis universalis ex natura vaccinae, ejusque ad organismum humanum relatione prodientis possibilitatem evincere conatur autor analogia et observatis:

1. Ex lege naturae omnis morbus in existentia sua generica pari modo ac in concreto — in individuo — stadia incrementi, acmes, decrementi percurrit et tandem cessat. Sic lepra ex mundo sublunari relegata est, syphilis saeculo 16. acutissime saeviens nunc multo est mitior, febris sudatoria anglica periodum existentiae suae spatio vix saeculum emeliente absolvit. Scarlatina e contra absque dubio novum sistit morbum in stadio incrementi versantem, uti et angina polyposa et hydrocephalus acutus. — Licet originem vaccinae ignoremus, id tamen novimus, eam sistere morbum homini alienum, unde concludere fas est, eam in organismo humano citius indolem

primitiyam perdere, assimilari, degenerare posse. Jam vaccinae propagatio ope insitionis modo fit artificiali, contagii vehementiam mitigante. Et enim et de variola constat, eam per insitionem sensim et sensim degenerare, imo contagio spoliari. Etiam analogia cum organismis animalibus et vegetabilibus degenerationi vaccinae favet. Differentia inter lymphae vaccarum primitivae indolem virulentam et lymphae toties in organismo humano regeneratae indolem mitem tanta est, ut degenerationem meditari, nequaquam absonum videri possit.

2. Observare sibi videtur, ac si vaccina descendens ex prisca lympha anglica saepius irrite nunc insereretur, pustulae minores essent, rubore minori circumdarentur comite febri quoque exiliore, quam sub vaccinationibus primis.

Contrarium *de Carro* 1) contendit, dicens, vaccinationem sese ex anno 1799. et in brephotropheo Vienensi ex anno 1802. cum omnibus prorsus signis suis characteristicis ex brachio ad brachium propagasse. Similiter *Thomson* affirmat, lympham Edinburghi adhibitam continuo eadem producere phaenomena ac ante annos 18.

*Wendt et collegium pro inserenda vaccina dani-
cum degenerationi vaccinae non subscribunt.*

Pensitatis sententiis sibi exacte contrariis censemus, judicium de hac re omnino suspendendum esse, usque dum copia observationum major, imo immensa fuerit.

An non vaccinæ virtus antivariolosa intra certam annorum seriem debilitatur, imminuitur, tandemque disparet, ita ut opus sit, in ulterius tutamen vaccinam de novo inserere? Nonne fors inde varioloidum in vaccinatis certus numerus inde explicari valet?

Ex 41 aegris varioloide vaccinica laborantibus per *Dewar* observatis 31 annum aetatis suae octavum superarunt et mature vaccinati esse videbantur.

Juxta *Gregory* Londini major aegrorum varioloide vaccinica laborantium pars 15. inter et 21. annum versabatur.

Pfaff 1) in Holsatia refert, sub epidemia praece-
teris ac fere unice eos varioloidibus affictos esse, qui
ante 10 — 15 — 20 annos vaccinati sunt, non vero il-
los, quibus vaccinatio brevi ante adusque annos 10 fa-
cta est. Affirmat porro in individuis ante longius tem-
pus (12 — 15 annos) vaccinatis, vaccinam produci ite-
rum perfectam.

1) *Froriep's Notizen*, May 1824, Nr. 140.

Dornblüth adnotat, sub epidemiis recentioribus, varioloidibus correpta fuisse imprimis individua ante 10 — 15 — 20 annos vaccinata.

Adam insuper morbum fuisse leniorem in iis, qui ante breve vaccinati sunt, quam quibus jam dudum vaccinatio facta est, contendit. Affirmat se morbum in infante duorum annorum nonnisi semel vidisse, eumque absque omni febre.

Morbi vehementiam tamen intendi; pari ratione qua a vaccinatione praegressa tempore distat, ejus observata non indigitant, cum morbum in individuis ante longam annorum seriem vaccinatis mitissimum vidisset.

Similes observationes et aevo recentiore factae sunt, uti medicorum diaria referunt.

Ast nos contra opinionem supra allatam breviter animadvertisimus :

1. Numerus varioloide vaccinica laborantium sub epidemiis longe major esse deberet, ac huic communiter visus est, si temporaria duntaxat esset per vaccinam inducta immunitas. Existunt homines vaccinam ante 30 — 60 annos passi, ejus virtutem perstantem continuo comprobantes immunitate sua.

Willan prorsus renititur opinioni, varicloiden crebrius obvenire, et vehementiorem esse, si vaccinatione dudum praegressa est.

Thomson nullas habere experientias fatetur, unde

concluderet, vaccinae virtutem tutoriam temporis tractu debilitari, imo epidemia, de qua tractat, praeceteris eos corripuit, qui necdum annum 10 egerunt.

Ex conspectu tabellario *Gibson* in New-Lanark elucescit, ex 251 casibus variolae modificatae plurimam partem occurrisse post annum unum a vaccinatione.

2. Si quaedam adest variolam inter et vaccinam analogia, illa certe obvenit in modo, quo ambo morbi sese invicem praevant, coercent ac modificant. Nonne inde concludere licet, eos prorsus pari ratione etiam immunitatem perstantem praebere?
3. Absurdum quidem non videtur, immunitatem per vaccinam praestitam, per insequentem vegetacionis morbum, ubi metamorphosis progrediens languet, et sistema cutaneum sub forma impeliginis laborat, imminui posse; at hic suspicandum, tales morbos saepissime jam sub vaccinatione organismo inhaerere et vaccinam exinde abludentem, imperfectam, causam denique sistere insequentis morbi variolosi modificati. Fors, uti monimus observatio per *Hodenpyl* facta, a recentioribus quoque comprobata inde explicanda venit.
4. Autoribus, qui morbum, longe a vaccinatione comparentem, vehementiorem esse ac in casu con-

trario, contendunt, opponimus, non adeo de ve-
hementia morbi, quae ut plurimum a copia exan-
thematis dependet cogitandum esse, quam de eo,
an exanthema variolae explicatae formam ac de-
cursum plus minusve exacte referat.

T h e s e s.

I.

Variolois vaccinica luculentissimum sistit virtutis
vaccinae antivariolosae testimonium.

II.

Inter Varioloidis vaccinicae causas praeter vaccinationem imperfectam huicdum omnino idiosyncrasia sibi locum vindicat.

III.

Theoria quidem vaccinae degenerationem possibilem evincit, at in praxi ejus existentia nondum clare innotuit.

IV.

Anatomia pathologica scientiae medicae proderit, tota quanta innixa unito studio anatomiae et pathologiae specialis.

V.

Summe hic fugienda autorum mania, cuncta ex inflammatione derivandi.

VI.

Gangraena seu mortificatio pulmonis raro ex inflammatione repetenda.

VII.

Physiologia necdum satis respicit progressus
Anatomiae phathologicae, quam tamen illi et cunctae
medicinae propinguorem censeo ipsa Anatomia com-
parativa.

VIII.

Ipecacuanha in febribus gastricis in characterem
adynamicum tendentibus medicinam exhibit efficacis-
simam.

IX.

Ex Arsenici prudenti usu multum olim salutis
exspectandum in medicina.

X.

Chlorosis morbus est sexus utriusque, attamen
in sexu sequiori longe frequentior.

XI.

Hypochondria et Hysteria morbi penitus diversi.

XII.

Morbus maculosus Werlhofii a Scorbuto natura
sua non differt.

XIII.

Inest aëri atmosphaerico vis subigens, assimi-
lans.



an account of the same. One student, Koenig and
Gelius, has collected some scattered notes which
have remained. These notes are to be found in the


same volume as the notes of the other students. They
are to be found in the same volume as the notes of the other students.


The notes of the other students are to be found in the
same volume as the notes of the other students.


The notes of the other students are to be found in the
same volume as the notes of the other students.


The notes of the other students are to be found in the
same volume as the notes of the other students.


The notes of the other students are to be found in the
same volume as the notes of the other students.

















www.books2ebooks.eu